



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 45. Et progressus pusillum procidit in faciem suam. v. 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tantissimi istius Dei filij ubi omnem injuriam & contemptum vidit, qui in dies singulos cœlesti patri infertur? Nam, pro dolor! quotidie nimium videre licet, quam nihili ducant homines Deum exitalibus etiam sibi ipsi peccatis offendere. Hac igitur de causa tantum Christus dolorem & mœrorem suscepit, in argumentum doloris sui quo ardebat, & is demum omne perripit corpus suum ita ut sudor sanguineus ex cunctis membris illius præ nimia angustia & tremore, velut humor ex uva fortiter pressa, erumperet. Et ut ostenderet nobis mœrorem hunc interiores absumere medullas animæ suæ mortis correptus angoribus dixit. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Quantopere agnus innocens patrem nobis reconciliare laboravit nimirum sicut mater ingenti cum dolore & tristitia infantem editum hunc mundum, ita Christus verè cum tormento & cruciatu intolerabili regeneravit nos in vitam æternam.

O anima mea & vos omnes qui diligitis Deum venite, sequamur modo afflicto corde & intima devotione cum lacrymis & compassione mentis Christum Jesum in hortum, contemblemur oculis cordis Iesum, Salvatorem nostrum, agnum sine macula, uti hic portavit omnia peccata nostra, quam graviter solus torcular calcaverit ut instar uvæ gravissimè expressæ in passionis torculari sit depressus, fundens nobis largiter atque bibendum porrigens vinum rubeum pretiosi sanguinis sui ut nos suo faceret amore ebrios. Conspiciamus quæso ut Angelorum gloria ad mortem usque tristata sit, quo nos ad æternam proveheret lætitiâ ex infelicitate, & ex ignominia filiorum Adam ad exultationem in gloria.

§. 45. *Et progressus pusillum procidit in faciem suam. v. 41.*

Ob tristitiam quam corde gerebat, & gravedinem cogitationum suarum non valens conversari diutius cum suis, ad patrem sese convertit, proicit se in terram uti pauperrimus coram eo abjectissimus, desolatissimus quem mundus habuerit, homo.

En jacet, O homo, Deus tuis vultu terræ affixus, in multâ spiritus angustia, sanguineo perfusus sudore, derelictus & à patre & ab hominibus universis, jacet inquam non ut Deus, non ut justus quispiam, sed ut homo publice flagitiosus, ut immanis peccator, tanquam indignus sit, qui à patre audiatur, aut certe tanquam aliquis qui erubescat levare in cœlum oculos suos, plane ut proiectus à Deo & inimicus Dei habitus, ut nos qui inimici eramus amici & electi Dei efficeremur,

ODO-

O Domine Deus meus, En ipsa quoque vita indignus sum, eo quod ipse tibi hunc acerbissimum inussi dolorem, quando non veritus sum pro momentanea profususque vili delectatione committere, quod tu ex parte sanguineo tuo sudore, & luere morte gravissimâ debebas: O quam gravia sunt mea peccata quæ talem deposcunt satisfactionem, da igitur gratiam Domine, tuomet merore mihi promeritam, ut tuo exemplo edoctus ob mea (heu! nimis multa & enormia peccata, me prosternam coram te omni tempore tanquam filius prodigus veniam cum lacrimis à misericordissimo patre exposcens.

§. 46. Orans & dicens: Pater si possibile est transeat à me calix iste. v. 42.

An humana natura ista loquebatur terrore eorum quæ supra eam ventura erant tormenta? eaque apprehendens aliud remedium non sciebat, quam recusare passionem tam acerbam? non credo, quando video eandem regimine divino munitam, alias a deo fortiter volentes abdicare passionem eius increpuisse; quid igitur orat: *si possibile est transeat?* Exemplum factus est nobis caput nostrum sanctum per omnia. nimium ut nos membra discamus refugium quærere apud Deum patrem, Cui nostra omnia cognita, si forte differre passiones & mala nobis instantia vellet & orari ut ipse oravit: Pater si possibile est transeat hæc crux, hoc periculum, hic morbus &c. nam natura mea ita abhorret à passionis futuræ tormentis ut quasi deficiat ex apprehensione malorum mihi, ut puto, instantium verberum, alaparum, sputorum, contumeliarum, crucis, mortis acerbissimæ & ignominiosissimæ: vel igitur differ modicum, vel conforta naturam deficientem & imbecilem.

O Pater dulcissime video causam propter quam voluisti ita filium tuum orare: attende quæso, piissime pater, dolores istos cordis tibi dilectissimi, respice miserabiles tremores ipsius, ascendant acerbis gemitus illius in cor tuum, moveat te sudor eius sanguineus toto è corpore manans, vide ut ad terram humiliatus est, exaudi tandem fervidas preces eius pro me, quando quidem cuncta eius membra plorant & clamant ad te, da illi desiderium cordis sui, quando voluntate penitus resignata totum se ad te convertit & in vera dilectione fundit preces suas, nec quærit commodum suum sed salutem fratrum suorum, & deprecationem impendentium illis malorum.

§. 47. Verum amen; non sicut ego volo, sed sicut tu. v. 43.

Notandum hic venit Salvatorum nostrum Iesum Christum semper cum Spi-